872.2

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHYSIOLOGICO-PATHOLOGICA

DE

VITA IN GENERE.

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM,

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE OBTINENDA

IN CELEBERRIMA

ACADEMIA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Josephus Flögel,

Bohemus Neolandensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae
die   Mensis Januarii anni MDCCCXXXIV

VINDOBONAE.

TYPIS LEOPOLDI GRUND.

(Währingergasse Nr. 275.)

K. u. k. Militär-ärztliche Bibliothek
Standort | Zimmer | Kasten | L. Nr.
Katalog | Abth. | Gruppe | Nr.

QUI

STUDIORUM MEORUM ANGUSTIAS

QUOQUO MODO LEVARUNT

MAGNANIMIS

IN

TENUE QUIDEM, SED SINCERUM AC PERENNE

PIAE GRATITUDINIS MONUMENTUM

CONAMINA PRIMA DEDICO

devinctissimus

Auctor.

Lectori.

Juvenis perarduum est viribus, in gravissima arte experientia fultum condere opus, quin ruminet trita, aut mentiatur nova; minus difficile, theoriae angulos adumbrare. De vita, communi medicinae atque chirurgiae objecto tractatum publici dum facio juris, utrum praetulerim, vides. Ingenio debilis, naevisque patulus deprehendi malui, quam compilator. —

Brevi perituras indulgenter, lector, suscipe chartas!

Ein besonnenes Bestreben innerhalb einer Erfahrungswissenschaft, und für dieselbe, kann, wenn es sich selbst klar geworden ist, nur darauf gerichtet seyn, ein Verständniss zu gewinnen von der Natur in dem, was sie ist, und wie sie es ist.

Sachs's Handbuch des natürlichen Systems der practischen Medicin. Bd. I. §. 1.

Introductio.

§. 1.

Antequam in gravissimae profecto materiae argumentum indagare ultro aggrediar, illud ad trutinam vocasse conducet, operaene pretium sit, huic adaptare vires, hocve terere tempus. Duplex enim mox offendo adversariorum genus, quorum alterum perfectae de vita notionis comparandae possibilitatem nullo pacto concedit, altero, ne acquisitam quidem, pro medicina saltem, quidquam utilitatis largiri, conquerente. Horum indignantem feriunt clamores aurem. Etenim, si qualicunque demum scrutinio perspici posse vitam atque intelligi negant, una eorum tuemur partes; nullius non rei intima natura mortalibus obcelata. (*Antisthenes.* — *Kant.*) Quippe solus Deus et singula, quae vita gaudent, entia, mente complectitur clara, et semet ipsum, tanquam absolutam vitam, intuetur. —

Aliud autem est, si de vitae notione clara, in conscientiam vocanda agitur.

Quales enim mens humana notas junxerit in quacunque notione construenda: has eadem quoque mens humana, eandem iterum ascendendo scalam, poterit invenire. Reconstruuntur autem singulae notiones a singulis fere hominibus; ut itaque pro diversa cujusvis cultura paulullum modificatae prodire debeant. „Jeder wird das Leben nur begreifen, je nachdem es in ihm sich darstellt, und in ihm selbst sich ausgebildet hat. — Nur in der höchsten Blüthe des Lebens, in der Vernunft, kommt die höchste Idee desselben zum Bewußtseyn *).“ Unde palam fit, scientiae esse, illas colligere notas atque coram conscientia collocare, quas nemo possit negare. Hoc quamprimum rite et exacte fuerit factum, suapte obviam fluet interior vitae cognitio, eo usque comparanda, donec de omnium inter se ac nobiscum harmonia convicti existamus.

§. 2.

Alterum quod adtinet, cui refutando me accinxi, in eo cultiorum omnes convenire, supponere fas est, quod nonnisi illi veri medici nomen sit tribuendum, qui omnium demum imbutus rerum naturae, quoad licet, cognitione, consortibus auxiliari aggreditur. —

Jam autem, qualinam omnia inter se cohaereant copula, ignarus, tutissima exutus amussi, farraginem pro solido atque vivo coacervabit the-

*) Kieser's System der Medicin. Bd. 1. S. 106.

sauro; ipsemet scientiae dignitati valedicturus, quam nonnisi assecuta medicina omnes numeros absolvisse praedicabitur. Tandem, quonam jure et quomodo alterandam suscipiat, quam ignorat, vitam? — vasto immergens Oceano rete, quidquid inhaerescat, contentus! Reticeo enim, unumquemque mentis culturam profitentem, qualis medicus deprehendatur oportet, cognitione carere non posse, quae omnium pariter interest, quamque circa magna pars scientiarum tanquam basin rotatur. — Sic, quemadmodum individuorum notitia supponitur, ut species, specierum autem, ut genera sistantur: ita, quales de his vagantur notiones, in illorum resplendere solent dijudicatione.

§. 3.

Unde summopere cordi fuit ex aevorum primordio philosophis aeque ac medicis, mysteria vitae aucupari. Quorum equidem theorias nunc paucis delineaturus, non ut, qui philosophiae historiam tractavere, philosophandi methodum, sed progenita inde judicia circa rerum in genere, atque vitae κατ' ἐξοχήν causas, pro divisionis fundamento ponere ratum esse, scopoque nostro consentaneum censui; aevorum simul rationem secundariam habens.

§ 4.

Hac nobis via incedentibus triplex occurrit opinionum series, quarum prima vitae tam proximam quam ultimam rationem ex ente quodam perfectiori repetit; secunda ex sola materia utram-

que, dum tertia proximam vindicans materiae, ultimam in Deo collocat. Hinc mihi una referendi sunt, quantumcunque secus dissentiant, sub

A. Thales, cui Deus ex aqua formavit cuncta; *Heraclitus*, qui ignem; *Anaximenes* et *Diogenes*, qui aerem; *Pythagoras*, qui calorem (Dei symbola) pro vitae causa declararunt.

Plato quaeque sunt, divinarum progeniem dicit esse idearum.

Galenus πνευμα; *Paracelsus* et *Helmontius Archaeum*; *Stahlius* animam, supposuere. — Accedunt, qui propriam vim vitalem statuunt, veluti *Gaubius*, *Kreysig* et *Hufeland*; nec non, qui cum *Brunone* incitabilitati, vel cum *Darwino* vi sensoriali confidunt, quae, materiae idoneae accedens atque inhabitans, vitam cieat; tandem, quibus idem est Deus ac mundus, hicque illius nonnisi modus seu reflexus; quo spectant: *Xenophanes*, *Zeno*, *Spinoza*, *Leibnitz*, *Fichte*.

B. In secunda serie primum illos conspicimus, qui atomis originem debere omnia volunt: *Leucippum* et *Democritum*, cum *Asclepiade*; quibus proximus est *Priestley*. Chimicis praeceptis vitam superstruentes, aut ab oxygenio eandem proficisci rebantur, aut fermentationis (*Silvius*), aut combustionis esse processum (*Brandis*, *Ackermann*, aliique).

Reil peculiarem materiae mixtionem et formam omnium phaenomenorum somaticorum rationem continere affirmat.

C. Tertiam neotericorum plerique profitentes, bifariam tamen divergunt, prout uni alterive priorum propius accedunt. Materiae magis addicti, hanc ipsam et vitam ex duplici virium cardinalium natura, sibi opposita, derivant, uti: *Schelling*, *Hartmann*, *Kieser;* qui autem apparitionibus haud contenti, harum communem atque ultimam perscrutari rationem satagebant, harmoniam ubique summam admirantes, unam sufficere vim docuerunt. *Berthold*, *Töltény*i.

§. 5.

Non minor, quousque vitae conceptus extendendus sit, obtinet dissensio; aliis nihil prorsus vitae expers habentibus, aliis quidvis, divinas praeter ideas; tertii sunt, solis organicis eandem vindicantes.

§. 6.

Duplicem libello praefiximus scopum, ita, ut in prima sectione de vitae conceptu quaestionem instituere necessarium nobis visum sit, priusquam in altera causam ejus enodare adnitamur; eandem legentes viam, qua ipsius mentis humanae evolutio incessit.

Sectio prima.

De vitae conceptu.

§. 7.

Innixa conscientiae persuasio de nostra existentia nullius non disquisitionis fundamentum; hanc foventes actionem insimul profitemur; utramque ob causam vitam nobis vindicamus. In aliis quoque entibus actionem, in sui conservationem tendentem, animadvertentes, haec ipsa vita pollere persuademur, sed diversi gradus, pro actionis tam extensione, quam intensione varia; donec ad nullipora deveniamus, imasque plantas, seriem claudentes. In quibus ergo omnibus actionem ex interna proxime derivamus necessitate, existentiam suam, quaqua ratione tandem perituram, tuendi; etenim per se coguntur inire atque sustinere cum aliis entibus commercium, sine quorum influxu persistere nequirent. In quibus aliter rem se habere entibus videris, vitam in sensu strictiori adesse negabis. (*Treviranus.*) Haec itaque propriis quoque non indigent organis seu instrumentis, unde corpora anorganica audiunt, dum prioribus illis organicorum nomen competit, atque facultas, aequalium, aut saltem similium entium ex se gignendorum; idque ne monstris quidem exceptis.

§. 8.

Quemadmodum autem sensus sani phaenomena percipiunt varia, quae noumena quoque habentur: ita rationis ope altera nobis sternitur percipiendi via; haustaeque inde ideae non minori jure phaenomena noumenorum, i. e. entium revera existentium dici merentur. Ita perducimur ad ideam entium nobis perfectiorum, quorum quippe actionis extensio atque intensio materiae vinculis jam non restringitur; imo absolutum tandem assequimur ens, omnipotens, quod ideo absolutae vitae, seu ideae vitae aequale ponendum. Hanc vitae sphaeram nemine, ut spero, denegante, suapte patebit, vitam in sensu strictiori esse *efficientiam entis per se, et propter se, similiaque.* Nec angor timore, nequis objiciat: influxibus externis opus habere quaelibet entia, ut vita excellere queant; quum hoc ipso conceptus limitibus justo arctioribus inclusus deprehenderetur. Eandem fere procul dubio ideam, obtrectatoribus altiorem mente volvit philosophorum princeps *Kantius*, dicens: „vitam esse substantiae facultatem, semet per principium internum ad agendum determinandi." Sufficit enim generale *principii* modestumque nomen nunquam mortalibus eruendi, solique Deo perspicui. Haec nuda veritas; analogia autem falluntur nullatenus evincenda, qui electrico similive processu vitam absolvi, scire sese opinantur.

§. 9.

Verum vero, hanc vivorum entium seriem descendendo perlustrantes insensibilis fere gradatio aliquantulum confundit, qua vigor agendi et modus sensim sensimque recedit, ita quidem, ut, utrum ad anorganica corpora rejicienda sint quaedam, nec ne, ipsi haesitent naturae scrutatores. — Quas enim sejunctas habere, facultatum limitatione propulsi molimur, nunquam faciens saltum natura, pari amplectitur proles amore, ex qua utpote millenis sub formis protrudi vitam, et sensus ferit, et occupat mentem. Imo, quem habitamus, vita planetae, ceu summa corporum vivorum omnium, inde altorum consideretur, necesse est; ad quam constituendam itaque singula conspirant. — Vivere sanguinem, vivere omnes et singulas corporis humani partes, argumentis sat validis notisque confirmatum habetur; eadem fere ad majores quoque organismos, veluti tellus est, imo ad universum adplicare, quis vetet? — Ipsimet singulorum macrocosmi membrorum utilitatem atque in reliqua influxum perscrutando magis magisque in diem perspicimus. Nec tamen per se id faciunt corpora anorganica, sed abrepta coactaque vita totius; ut itaque in sensu latiori, *quidquid est et agit, vivum salutari mereatur.* Quum autem nihil existat, nec existere possit, nisi existentiam suam agendo tueatur: jam, quod est, etiam vivit. — Quod ne inconsulte fari videar, celebratis quibusdam munitum incedere nominibus, consultum erit:

Thaletis, *Empedoclis*, *Stratonis*, *Chrisippi*, *Platneri*, *Herderi*, *Leibnitii*, *Bertholdii*. Praeclare etiam *Carus* in sua physiologia idem asserit, dicens: „Leben ist die eigenthümliche Daseynsform der gesammten Natur; es gibt kein Lebensprinzip außer Gott, der Lebenserscheinungen aber so viele, als Naturformen und Naturthätigkeiten irgend wahrzunehmen sind.“

§. 10.

Utraque vitae manifestatio, in manifestum communis originis indolisque testimonium, a relationibus dependet, quatenus nimirum materiae nupta cernitur. Sic rigidum ferrum nunc vivi sanguinis partem constituentem sistere videmus, nunc magnetismi processus regere; sic, quae fundamento est humano corpori, Dei effigiem repraesentanti, calcaria, montium quoque moles fulcit! Nascuntur pereuntque diversas passae metamorphoses et hodiedum minerae, sive orbis in sinum descendas, aetherisve spatia lustres, aut organismorum concrementa disquiras *).

*) S. C. Fischer's Handbuch der Mineralogie. Wien 1831. S. 327—352.

Sectio altera.

De vitam explicandi ratione.

„Sed mens humana ex intima natura sua non modo superius, sed ad summum tendit, atque plurima non tantum ad pauca, verum omnia ad unum tandem reducere nititur."

Ph. C. Hartmann de mente humana, pag. 10.

§. 11.

Quibus phaenomenorum ad materiei, qua eduntur, proprietates relatio, vis vocatur (*Reil*): tot utique vires agnoscendae veniunt, quot relationum observantur varietates. Repudiantes autem hancce, utpote justo arctiorem definitionem, atque ulteriora quaerendo vim ceu efficientiae rationem considerantes: ne vitae quidem singularem quandam substernendi commoditate frui, concessum habemus.

§. 12.

Una utrum sufficiat vis, binisve oppositis sibi quoad nisum et modum agendi, opus sit, ut profundius, rectius, concinnius atque simplicius vitae mysteria contemplemur, ac interpretemur, hodiedum sub judice lis est. — Nos quidem, posteriori addictorum opinioni argumenta paucis exposituros, substrata iisdem crisis citius securiusque ad amplectendam priorem perducet.

§. 13.

Vis, ne in infinitum operando perceptioni subducatur, limitetur necesse est; id quod fieri nequit, nisi per vim ex diametro oppositam. Duplicem itaque vim fateri a priori coacti, expansivam atque contractivam merito nuncupamus experientia teste, qua nullum in natura processum perfici evincimur, ubi non expansionis insimul et contractionis phaenomena paterent. Incredulus magneticos, electricos atque chimicos, nec non crystallisationis processus accuratius lustret. Quam proin universa sequitur normam natura, nec pars ejus, qualis organismus est, repudiare poterit. — Processus organico-vitalis contemplatio idem docet. Motus enim cellularis manifestum in contractionem nisum offert, cui turgor vitalis obest. — Contrahuntur musculi et expanduntur. — Quominus tandem in immensum festinet motus nervorum radians, alter praepedit arcens. Consolidatio contractione, liquescentia expansione in lucem emergit. Sub globuli forma prior, sub fibrae posterior conformationem organismi absolvit, cellula utramque exaequante. — Non diversae itaque vigent in organismo vires, quam quibus universum sustinetur. Etenim hic et ibi eadem phaenomena, eademque rerum elementa; hinc iisdem quoque viribus conflantur, quum materia et vis, nisi in mente cogitantis, separari nequeunt, illa hujus tantummodo apparitionem sistente. Materia enim virium expers nihil

est; viribus confidenti omnia, illa inanimis languet moles.

§. 14.

Quae hic prolata sunt, argumentorum valore supposito, ipsa tamen nonnisi de vita somatica valere, non est, quod moneam. Ast, quum ultro extendere vitae conceptum et ratione adigamur, et religione jubeamur: incassum labore fatigantur, qui de parte solummodo praedicant, quod de toto asserere voluerunt, atque debuissent. De illo enim agitur, ut primo vitam in abstracto rite concipiamus, ac tum demum ad concretam descendendo, altiores conceptus adplicemus. „Alle besondere, individuell gebildete Leben sind nur Reflex der Urform, und es ist unmöglich, irgend ein besonderes Leben zu erkennen, ohne das Leben als solches, im Allgemeinen, und an sich selbst erkannt zu haben *).“ (Hoc autem si nimis generale atque sine usu practico esse censeas: cur secus generalibus superstructa principiis atque firmata exoptas specialia et individualia?) — Talia molientes facile convincimur, materiam quidem non dari, cui vires non insint, nullatenus autem vires materia indigere, ut existant; hoc solo discrimine obversante, quod tunc, ut supra jam innuimus, non sensuum, sed soli rationis perceptioni pateant. Id vel exinde liquet, quod secus tam contractiva, quam expansiva ex utraque iterum composita esse

*) Ph. F. Walther's Physiologie B. 1. §. 11.

deberet, ut materiam sistat. Hujusmodi autem ad latebras confugiendi licentia, semel concessa, eadem in infinitum abutendi necessitatem induceret. Hinc ipse fatetur *Hartmannus*: „Man kann zwar sagen: überall, wo Materie erscheint, dort müssen Kräfte als Grund dieser Erscheinung wirken; allein man hat kein Recht, diesen Satz umzukehren, und zu behaupten: überall, wo Kräfte thätig sind, muß Materie erscheinen *)." — Ipsam autem vitam cum materiae organicae mole intendi, cum decremento minui: ubicunque experientia adeo reprobatur, ut pluribus uti, supervacaneum censeam.

§. 15.

Virium duplicitate freti multum porro castigare solent illos, qui apparitionibus ducti atque seducti, pro harum qualibet propriam sibi vim effinxere, hinc vitalem quoque vitae substituentes. Re tamen accuratius examinata, neque ipsos ab hoc vitio penitus immunes esse persuadebimur. Contractionis omnino phaenomena palam fiunt; dari autem ideo vim contractivam, talem scilicet, cujus perpetuus nisus in contractionem fertur, cum magistro celebratissimo, *Töltényi*, sequentibus audeo oppugnare: Est vis efficientiae ratio; ergo non est, nisi quatenus actionem ciet; agere autem non potest, nisi extrorsum, hoc est, semet expandendo; id quod eo clarius perspectum habebis, singulas

*) P. C. Hartmann's Geist des Menschen. Seite 57.

particulas minutissimas (ubi scilicet de materia sermo est,) sive monadas (*Leibnitz*) cogitaturus. Sed sub individuorum forma sensibus passim repraesentatur vis; proinde absolutam omnigenamque vim radiatim quasi dispersam concipere fas erit, cujus singuli radii, ne in immensum demergantur, arceri debuerunt. Hoc tantum abest, ut per vim contractivam, introrsum nimirum agentem, obtineri possit, ut haec potius non modo per vim expansivam, sed per se ipsam insuper in punctum mathematicum coacta evanesceret. At vero concurrentibus binis, quarum diversus est scopus, utraque scilicet in sui ipsius evolutionem, dominiumque quasi amplificandum tendente: cujus minor est intensio, eo usque recedere cogetur, donec, decrescente in distantiam vigore, aequilibrio componendo atque sustinendo par facta fuerit, perstituro, quamdiu alterutri undeunde auxilia non accesserint. (Talis enim humana fors est, ut, quas sensibus debemus, impressiones, in unaquaque mentis operatione redoleant.) Utique inde contractionis phaenomena in conspectum prodibunt. Qui tamen propterea vim contractivam assumunt, cum effectu efficientiam, cum apparitione rationem agendi commutasse, luce clarius habeo. Quam itaque oppositionem vocant, nonnisi differentia est, atque emergens inde lucta egoismi manifestationi aequalis censenda; quem singula fovendo, vitam tandem idealem insimul realem ponunt.

§. 16.

Etsi tandem, quae nunc agnoscuntur, elementa materiae simplicia, revera fors non sint, ipsa tamen negari non possunt. Jam autem, si materia, quae idem ac vis existimatur, simplex datur: quomodo diversis eadem saltem viribus constitui poterit?

§. 17.

Singulum itaque individuum corporeum viribus homogeneis conflatur, quae, dum semet invicem coercent, possibilitatis non modo, in unum conspirandi scopum, existentiam nempe individui constituendi atque conservandi, fundamentum in se continent, verum etiam certos cuilibet evolutionis fines dictant; nec ad arboris altitudinem ascendere frutici permittunt.

§. 18.

Haec nostra si justa est monadis defensio, ejus conditionis sit oportet, ut omnibus, quae obtinent, phaenomenis interpretandis sufficiat. — Ex una eademque materia, diversa tantummodo ratione distributa, omnem jam electritatem derivabat magnus *Franklin.* Secuti sunt multi; atque ipsi, quibus binae praeplacuere vires, ex una itidem repeti posse, concedunt. — Magnetismum analogis saltem, ac electricitatem legibus obedire, nunquam fugit naturae scrutatores; verum imo unum processum alterius nonnisi modificationem, seu potentiam altiorem exhibere, periculis de die in diem numero crescentibus extra omne fere dubium ponitur. Quid,

quod idem de calore, de luce, nec non de chimico fors processu praedicare fas sit? — Ad posteriorem referri quoque crystallisationem, non minus notum. — Missi in aërem lapidis relapsus aequo jure aëris pressioni, vim tandem emittentem superanti ac terrae attractioni potest adscribi; ipsiusque relapsus celeritatem cum pressionis magnitudine in aequa versari ratione, animadvertemus. — Siderum tandem in se invicem actio, quominus singulo per illam ipsam delineata excedatur sphaera, tutissime prohibet.

§. 19.

In organicis natura quid operetur, auscultemus. Quivis organismus e globulo orditur, ultro et ultro evolvendus, donec ab summo, quod assecutus est, fastigio, iterum descendens, in alias tandem dissiliat formas. Hocce curriculum mutationum serie componitur atque expletur, motibus absolvendarum, qui varia etsi directione fluctuantes, singulis tamen partibus extrorsum tendentibus obtinentur; idque de cellularum motu non minus, ac de nervorum valeat necesse est. Tali modo non fieri non potest, ut per particularum approximationem inde necessario emergentem, liberis intervallis magis magisque repletis, quae solido-mollia antea comparuere, solidam tandem induant formam; rigidamque, quibus solida erat; quo vel id accedit, quod ob nimiam expansionem partes fluidae extrorsum magna copia vehantur. Ast, quo arctior approximatio, eo major ulteriori obvolvitur expan-

sioni difficultas; unde recedere tunc organismum dicimus. Nec ipse ergo recessus aliud quid est, quam expansio minori jam gradu vigens; morsque in alias formas vitae transitus. (Metaschematismus.) „Nihil quidem omnino perit, neque oritur, quod prius non erat, verum invicem commixta et discreta alterantur. At homines existimant, id quidem, quod ex orco in lucem augetur, oriri, quod vero ex luce ad orcum imminuitur, perire, magisque oculis, quam rationi fidem esse adhibendam.“ *Hippocrates* *).

§. 20.

Duplex in organismis altioris ordinis viget systema: nervorum et vasorum; quorum priori nemo hucusque vim expandentem insignem abrogare ausus fuit. Vasculis autem longa serie a plantis imis ad hominem usque incrementum deberi, videmus, ipsosque inde nervos protrudi constat. Quae tandem fluida continentur, aut extra organismum dissipari, aut solidis accrescere consueverunt; quod equidem utrumque sine expansione concipere nequeo.

§. 21.

Quae quum ita sint, macrocosmo eundem perfectionis nisum inesse, a priori arguere licet; historia contestatur. Consistit enim totum ex partibus; qualis hisce sors contingit, illinc proscaturire oportet, et vicissim. Algarum, lichenum, simi-

---

*) Sect. IV. L. 1.

liumque plantarum praeter effigiem vix perfectior quaedam ex antediluvianis litho impressa detegitur; crustaceorum autem residuis ut plurimum animalium regnum designatur. Quantum contra nunc temporis admirari licet formositatem naturae, continuo agentis et progredientis!

§. 22.

Ita naturam testem provocans, idem et adversarios facere video, omnesque, quorum unquam intererat, opiniones pro veritate promulgare. Loquax enim natura cuique, muta semper; observari vult, non legibus adaptari atque obedire, phantasia progenitis. Nostram autem in partem vel id accedit, quod summum sit scientiae atque ipsius mentis humanae postulatum, quae multiplicia sunt, ad simplicia, ex simplicibus tandem ad unum reducere. Hinc, quamvis a *posse* ad *oportere* non valere consequentiam, asserant philosophi: nihilominus tamen neminem contradicturum spero conclusioni: possunt omnia ex vi una derivari, ergo debent.

§. 23.

Maxime strenui virium duplicitatis defensores si interrogarentur, unde tandem istae originem deducant: ad unum omnes procul dubio responsuros puto: ab una, sempiterna, originaria, omnigenaque vi. „Wir erkennen und bekennen, daß alles Leben ursprünglich aus Einem und dem Höchsten ausfließe, und von diesem mit absoluter Freyheit producirt werde *).“ — Omnia enim unius principii effluvia

*) P. C. Hartmann's Geist des Menschen. S. 61.

sunt et manifestationes. „Alles Zeitliche ist Darstellung und Nachbildung des Ewigen; denn das Ewige wird zeitlich, in den besonderen Formen und Elementen seines Wesens sich entfaltend, um sich selbst zur Anschauung zu bringen, seine unendliche Fülle zu offenbaren, und seine Einheit als lebendige und wirkliche Einheit, das ist, zugleich als Vielheit, darzustellen *).“ — Non alios itaque fructus edere potest intermedium inseruisse terminum, quam ut, quae simplicia sunt, complicata inde reddantur.

§. 24.

Talia mihi profitenti clarorum adstant effata virorum, inter quos referendi sunt: *Heraclitus*, *Pythagoras*, *Euklides*, *Chrisippus*, *Spinoza*, *Leibnitz*, *Ph. F. Walther*, *Berthold*, et celeberrimus *Töltényi*, qui manifeste his utitur verbis: „Una saltem viget vis in universo, cujus aeternus et invincibilis nisus vitae sanae et morbosae protrudit indicia **).“

§. 25.

Omnibus, quae hucusque proferre ausus sum, in unum quasi focum collectis, facilior non modo prospectus, verum etiam claritas major accrescet.

Vita, ceu intima τοῦ esse atque agere copulatio, omnem permeat mundum, gradu tamen admodum diverso. Vitae singularis fons proximus in ipsis quidem entibus singulis, quibus inhaeret,

---

*) Ast's Geschichte der Philosophie. §. 3.

**) Prooemium ad princ. path. gen. p. X.

ultimus autem in Deo seu absoluta vita quaerendus. Est itaque sola una vitae causa. Verum unus etiam est vitae singularis scopus, vitae nimirum ideam repraesentandi, atque explendi.

Triplex in genere patet illam interpretandi via:

1) Per vim unam.
2. Per binas oppositas.
3. Per plures.

Pro singulo phaenomeno propriam statuendo vim vix quidquam lucramur, quum nihil inde pateat, quam suam cuilibet effectui esse causam.

Binis indulgere, iisque oppositis viribus, quamvis commodissimum videatur, sequentia dissuadent:

1. Leges inde profluentes pro omni vita, qualis consideretur oportet, valore non gaudent.
2. Vis contractiva neque concipitur, nec, si existeret, contrariam arcendo par foret.
3. Binae vires terminum intermedium perhibent inutilem atque turbantem inter vim originariam, quae nihilo secius negligi non potest, et inter corpora viva.
4. Ad singulam harum virium concipiendam ejusdem oppositionis repetitione, in infinitum continuanda indigetur, ut vis et materia idem sit, sicuti volunt. Hoc autem vicissim concedentibus, posterioris elementa simplicia per vim quoque simplicem interpretanda; id quod asserto priori obest.

Non superest ergo, quo confugiamus, quam ad vim unam; ex qua

1. omnia naturae phaenomena, in macrocosmo non minus ac in microcosmo, rebusque anorganicis explicari possunt, proin
2. etiam debent, in scientiae scilicet commodum, ipsiusque mentis humanae jussu.
3. Tandem non desunt viri, et ingenio clari et literis, quibus vis una sufficiat.

Una itaque est vis, una vita, Deus unus!

His demum haud ineptus putabor, pathologica quaedam adnexisse, ut quae nulla porro expositione indigentia, priorum corollaria habeantur.

Vita individualis quamprimum posthabito egoismo in universi vitam immergi declinat, morbum gerit; in mortem abiturum, prior siquidem penitus resolvitur in posteriorem. Hinc „senectus ipsa est morbus."

Nullam prorsus quoniam vita oppositionem in se agnoscit: vel morbus, nil minus, quam sanitati contrarius, intra modestos potius vitae modificationis cancellos reverti debebit.

Equidem quantumcunque illorum industriam ingeniumque honorem, qui mathesin ad evincendam remediorum, etiamsi homoeopathogeneticorum efficaciam atque virtutem cogere norint *): admodum

*) + A (reactio sana) × + B (potentia quaedam) = + A B; et — A (reactio aegra) × + B = — A B. A. Watzke diss. de principio medendi, p. 31. Vindobonae 1832.

tamen, cui argumentum innititur, basin vaccillare, nemo non videt. Sanitatis potius et morbi relativus nonnisi conceptus *), pedetentim alteri sese altero insinuante ita, ut, quem hic statum prioris, ille posterioris jam titulo insignire mâlit.

Si qua in organismo ad expellendum morbum reactio fervet, hanc ipsam non sine virium majori minorive dispendio absolvi posse intelligo; quo nì opus fuisset, utique fors aliquantulum diutius perstitura esset vita. Haec tamen quum multo citius periisset ex morbo primordiali: — febrem v. g. intermittentem, cujus adjumento phthisis dummodo sufferatur, morbum ideo nuncupare aeque detineor, ac, quo haerens in faucibus frustum ejicitur, vomitum. Talis itaque naturae actio atque reactio formam mentitur morbi, indole destituta; qualem praemature abscindere vix unquam in votis medico esse potest.

---

*) Keiner der beyden Faktoren irgend eines Gegensatzes ist absolut positiv, oder absolut negativ. G. v. Buquoy's ideelle Verherlichung des empirisch erfaßten Naturlebens. B. 2. S. 88.

Theses defendendae.

I.

Phytonosologia non exiguum foret medicinae incrementum.

II.

Sectiones pathologicae uberrimum largiuntur dilatandarum cognitionum medicarum fontem; hinc

III.

omni studio atque cultura dignissimae.

IV.

Eaedem causae eosdem semper producunt effectus.

V.

Ubi pulsus suppressus, ibi vires suppressae.

VI.

Capiti nihil aeque prodest, atque aqua frigida. *Celsus* lib. 1. c. 4.

VII.

Juvenis ne nimia medicus audeat!

VIII.

Ad foetus futuri perfectionem summum momentum vigor et validus habitus coëuntium est. *Boër* lib. V. Aph. X.

IX.

Non omnes pseudomorphoses inflammationem matrem agnoscunt.

X.

Ex juvantibus et nocentibus non semper fieri potest indicatio.

XI.

Qui morbos spurios in medicinam introduxere, spuria id mente fecere.

XII.

In conscribendis formulis nimiam simplicitatem venari aeque nefas, ac farraginem congerere inexpertam.